THESES

DE CATARRHO

QVAS,

DIVINA FAVENTE GRATIA, CONCESSV ET AVTORITATE, AMPLISSIMI MEDICORVM ORDINIS,

PRAESIDE CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO, DN. IOAN. NICOLAO STVPANO Philosophiæ & Medicinæ Doctore, eiusdemq; Facultatis professore, & Decano dignissimo, præceptore suo vnicè obseruando,

EXERCITII GRATIA,

IN CELEBERRIMA BASILEENSIVM ACADEMIA *publicè defendere conabitur*

MARTINVS CODICIVS PNIEWITANVS POLONVS.

Ad 29. Augusti, tempore locoq; solitis.

BASILEÆ,
Typis CONRADI VVALDKIRCHII.
cIↃ IↃ XCIII.

GENEROSO, MVLTIPLICI ERVDITIONE, VIRTVTVM SPLENDORE, ET VARIARVM RERVM vsu & experientia præstanti domino PETRO BRONIOVVIO DE BIEZDZEDZA, EQVITI POLONO, domino & fautori suo apprimè colendo,

S. P.

INTER omnes honestiores ac præstantiores disciplinas & artes, hominum societati vtiles & necessarias Diuina planè est ars Medica; eademq; crebra & diligenti exercitatione præ cæteris omnibus egere videtur, BRONIOVVI GENEROSISSIME. Tanta enim est illius amplitudo & difficultas: vt nec mediocrem, & multò minus perfectam, eius sibi quisquam comparare possit cognitionem, aut rerum omnium, quas ambitu suo continet, scientiam, sola lectione, & nuda contemplatione: nisi etiam adhibeat omnis generis exercitia, longa experientia confirmata. Hoc fecisse Diuinum illum Hippocratem & summum virum Galenum scimus: quorum vestigia, præstantissimi quiq; in arte Medica, & celeberrimi viri secuti, non immeritò ad summum eius culmen, dignitatem, & honorem peruenerunt: præclareq; de ea cum viua voce, tum monumētis nunquam intermorituris, sunt meriti. Quorum ego exempla cum mihi ob oculos pono: simul quoq; in excellentissima hac facultate, cui addictus sum, ordinem talem seruandum mihi censeo: ne exercitia quæ ad eam pertinent, vllo modo negligam: quorū summa vis, maxima vtilitas existit: adeo, vt sint quasi quoddam fundamentum totius profectus. Hoc nomine Theses has de Catarrho conscri-

bendas, & in inclyta Medicorum Basileensium, in qua nunc versor, schola, disputandas suscepi. Tibi autem NOBILISSIME BRONIOVVI dicandas putaui: potissimũ quidem, quòd pietatis, & literarũ studia vehementer ames: in ijs præclarè sis excultus: maximè verò in disciplinis Mathematicis: quib. mirificè delectaris, semperq; te oblectas. Qua de causa & virũ doctissimũ IOANNEM COPIVM Medicum, & Mathematicum insignem semper tibi adiunctum habes: cuius consuetudine, & colloquijs iucũdissimis eruditissimisq; frueris. Deinde: quod non solùm Melchiorem fratrem meum Philosophiæ & Medicinę Doctorem, nuper magno cum dolore & detrimento meo immatura extinctum morte, sed & me singulari beneuolentia à multis annis, complexus fueris. Quare obnixè à te peto: vt meas has in Medicina primitias sereno vultu suscipias: non eas quidem tantas, vt eruditis, politissimisq; auribus, & grauissimo iudicio tuo dignas iudicem: sed vt qualemcunque, grati mei erga te animi, edam significationem: ac te mei studiorumq; meorum fautorem haud postremum agnoscam, habeamq; summum. Benè & feliciter vale GENEROSISSIME BRONIOVVI: meq; tibi, vt fecisti hactenus, commendatissimum habe. Basileæ Rauracorum 20 Augusti 1593.

G. T. obseruantiss.

Martinus Codicius Pnievvit.

De Catarrho.

CVM ex ijs rebus quæ corpori humano aduersantur: eiusque naturalem constitutionem & symmetriam labefactant ac destruunt, nihil sit capitis destillatione, vel crebrius, vel etiam periculosius: quòd & partem hominis præcipuam nobilissimamq; occupet: & quàm plurimos in ea, totoque corpore procreet & producat morbos: necessariũ & perutile videtur Medicam ipsius suscipere tractationem: eamq; in præsentia, quibusdam thesibus compræhendere.

THESIS I.

DESTILLATIO seu desluxus Græcis κατάῤῥοος, καλάῤῥες, & ῥϵυματισμὸς vocabulo latißimè accepto, nihil est aliud: quàm humorũ excrementitiorum è capite cerebróue, in subiectas corporis partes, prolapsio: à causa interna vel externa proficiscens.

II.

Etsi autem veteribus hoc nomine ea sola tantùm designata est, quæ in os & fauces delabitur: pro partium tamen quæ fluxui sunt obnoxiæ, diuersitate, in varias hæc postea distincta species, variaq; nomina est sortita.

III.

Partes enim quæ fluxionem suscipiunt, aut sunt EXTERNAE, nimirum, oculi, maxillæ, dentes, ceruix, adenes, scapulæ, brachia, latera, dorsum & lumbi, coxendix, crura, articuli, in quibus dolor percipitur. Aut INTERNAE, videlicet nerui; vnde excitatur apoplexia, paralysis, stupor, tre-

mor: Sensuum organa, hinc cæcitas, surditas, tinnitus, odoratus priuatio: nares, vnde grauedo: fauces & aspera arteria, hinc raucedo: Pulmones, hinc tussis, asthma, phthisis: ventriculus, vnde cruditas, lienteria: intestina, vnde alui profluuia; iecur, venæ, arteriæ, vnde obstructiones; gurgulio, vnde vua & columella; glandulæ quæ in oris termino continentur, vnde antiades: quæ proximæ ijs sunt, paristhmia: atq; si in alias partes descendat fluxio: aliam accipiet appellationem.

IV.

Gal. 3. aph. com. 12. Verum, cum ex his omnibus tres præcipuè differentiæ obseruari soleant; proprijsq; appellationibus sint insignitæ: de ijs hîc potissimum agendum.

V.

Prima generali nomine κατάῤῥυς Græcis, Latinis destillatio dicitur: cum ad os & palatum humor delabitur. Altera κόρυζα Grauedo, cum ad nares humor decumbit. Tertia βρόγχος Raucedo vel raucitas, cum ad fauces, laryngem & trachæam arteriam destillat humor.

Gal. l. 3. de symt. causis cap. 11.

VI.

Referuntur autem ad symptomatum genus: quod consistit in exientibus, vel excrementis mutatis: quæ cerebri omnem intemperiem excepta sicca, nonnunquam etiam oppletionem consequuntur.

VII.

Gal. in 6. aph. 2 & 3. aph. 12. Cum enim cerebrum ob molis suæ magnitudinem plurimo egeat alimento: suaq; natura sit frigidum & humidum, non tantùm plurima quoq; generat & congerit excrementa: sed etiam, propter loci in quo situm est, sublimitatē, substantiæq; suæ raritatem, vapores ex inferioribus sedibus suscitatos, ac eleuatos, facilè suscipit & condensat: adeoq; fons & origo destillationum existit.

Hipp. lib. de glãdul. Gal. 9. de usu partiũ.

IIX.

Hinc alius catarrhus per essentiam, videlicet qui à cerebro tantum prouenit: alius per consensum, qui inferiorum membrorum, ventriculi, iecoris, &c. vitiosa constitutione oritur, dici solet.

IX.

Vterq; vel calidus est vel frigidus: vel crassus aut tenuis.

X.

Calidus rursum, aut salsus, aut amarus, aut acris, abradensq;.

XI.

Frigidus etiam, vel est acidus, vel insipidus, vel dulcis.

XII.

Causæ efficiētes catarrhi aliæ sunt externæ: quæ & euidentes appellantur: aliæ internæ. Causæ.

XIII.

Externæ & euidentes à rebus nō naturalibus, ac à substantia corporis diuersis, desumuntur: suntq; aër corruptus, crassus, turbidus, nimium calidus, frigidus, humidus, venti, præsertim austrini & aquilonij, ignis & solis ardor, mora sub dio, radijs lunæ, fumus, odor rerum calidarum & frigidarum, cibus potusq; flatulentus, vitiosus, & qui facilè in ventriculo corrumpitur, cruditatesq; parit, nimia repletio, crapula, ebrietas, vinum immoderatiùs ingestum, venenum haustum; somnus longus & diurnus, exercitium vehemens & intempestiuum, præsertim ab assumto cibo, ira, furor, excandescentia, retentio mensium, hæmmorhoidum, asuetarū euacuationum intermissio, balneū calidum, Venus nimia, otium, medicamenta imprudenter assumta vel admota, & similia, quæ humores generare, præparare, ac commouere possunt.

XIV.

Internæ aut sunt antecedentes, aut continentes & proximæ dictæ.

XV.

Antecedentes sunt: cerebri intēperies calida, frigida, humida, mala compositio & præcipuè angustia, imbecillitas siue ea insita, siue aliunde cōtracta, totius corporis aut capitis plenitudo

Gal. cōm. 1. in lib. Epidē. Hippoc. sect. 18.

nitudo & cacochymia, ventriculi imbecillitas, epatis caliditas, & aliorum membrorum praua constitutio.

XVI.

Causa coniuncta est humor vtplurimum pituitosus: qui aut tota substantia, aut qualitate, aut quantitate à statu naturali decedit.

XVII.

Signa diagnostica.

Cognoscitur catarrhus ex ægrotantis dispositione, sternutatione sæpius iterata, pruritu, & titillatione quadam in naribus & faucibus.

XIIX.

Calidum catarrhum indicant: calor partium quæ fluxionem suscipiunt, humorum acrimonia, salsedo, rubor faciei & oculorū, frigida iuuantia, calida lædentia, motus multus arteriarum in capite; febris magna ex parte subsequitur, ex qua tamen malum nihil leuatur: item ætas, temperamentum, habitus corporis, anni tempus, regio, aeris constitutio calida, victus ratio, &c.

XIX.

Frigidum contraria demonstrant: & capitis grauitas, distentio, pallor, inclinatio ad somnum, pigritia, meatuū, qui in ossibus sunt, quæ ethmoidea nominantur Anatomicis, obstructio: ita vt ne vox deorsum per nares liberè transmeare queat, vrinæ crudæ, ac turbidæ, siq; febris superueniat: ab ea iuuamentum.

XX.

Qui proprio cerebri affectu fit: continuò infestat: nec cæterorum membrorum adsunt ægritudines: à quibus fomitem habere possit.

XXI.

Qui verò per consensum aliorum membrorum existit: horum præcessit vel adest nocumentum: quo aucto, augetur, quo diminuto, diminuitur catarrhus.

Si in

XXII.

Si in pulmones descendat materia: oritur spirandi difficultas cum magna tussi.

XXIII.

Si in asperam arteriam, tussicula & raucitas.

XXIV.

Corpora catarrhis afflicta, ad omnia morborum genera propensiora existunt. Signa prognostica.

XXV.

Magis catarrho obnoxij sunt imbecillum frigidumq; habentes cerebrū: & quibus caput est paruū, inferioraq; membra magna & calida: qui sunt decrepiti.

XXVI.

Si ex capite in nares destillet humor leue est malum: si in fauces peius: si in pulmones pessimum, teste Aurelio Celso. Nam periculum exulcerationis pulmonum, imminet: vnde tabes, & corporis consumtio. Lib. 3. de Medic. cap. 2.

XXVII.

Destillatio calida à calida pendens causa, citiùs curatur.

XXIIX.

Destillatio calida cum causa frigida, item, destillatio cum capitis dolore, difficilius curatur.

XXIX.

Indicationes in hoc affectu varias, pro causarum varietate, colligere licet. Indicationes.

XXX.

Intemperies enim calida refrigerantibus, frigida calefacientibus opus habet.

XXXI.

Materia quæ fluit inhibenda & retrahenda: quæ fluxerit, confirmata, euacuanda: crassa attenuanda & incidenda: viscida detergenda: tenuis, calida & acris alteranda & concoquenda, neq; est incrassanda.

B *Si ma-*

XXXII.

Si materia & causa simul conspirant: eadem remedia adhibeantur.

XXXIII.

Si dissentiant: mediocri auxiliorum contrarietate, aut urgentiori, altero non neglecto, succurrendum est.

XXXIV.

Pars debilis corroboranda.

XXXV.

Curatio. *Curationem quod attinet: perficitur ea tribus post causarum externarum remotionem, præsidiorum generibus, Diæta, Chirurgia & Pharmacia.*

XXXVI.

Inprimis itaq; victus ratio in decenti qualitate, quantitate, vtendi modo, & occasione sumendorum, admouendorum, faciendorum, & educendorũ: consistit, variatq; pro causa & materia, cui contraria esse debet.

XXXVII.

In omni tamẽ catarrho fugiendus est aër impensè calidus & frigidus, præsertim à balneo, itemq; nebulosus, crassus, pluuiosus, nocturnus, ventis meridionalibus ac borealibus expositus, laconicum; & omnia quæ aut constringere, aut dissoluere humores in cerebro possunt.

XXXIIX.

Cibus copiosus præsertim cœnæ tempore, cōcoctu difficilis, mali succi, vt caro permacra, salsa, antiqua bubula, suilla, caprina, ceruina, anserina, anatum: pisces palustres & magni, legumina, lacticinia, fructus crudi, cæparum, alliorum, porri, erucæ, sinapi, raphani, odoramentorum supra modum calidorum vsus, vini repletio, cereuisiæ, præsertim crassæ & fæculentæ, somnus diurnus, nocturnus nimius, supinus, motus animi, & corporis immoderatus, excrementorum retentiones.

XXXIX.

Postea veniendum ad præparantia: quæ cōmodè instituuntur præmissa lenitione seu primarum viarum expurgatione: quæ fit medicamẽtis lenitiuis Medicis dictis; qualia sunt, cassia, manna, tamarindi, hiera simp. Galeni, pilulæ alephanginæ, mastycinæ, Syr. rosat. solut. mel rosatum, Electuar. lenitiuũ Diacathalicon & similia: quæ varijs formis pro varia morbi, & ægri natura, viribusq; præparantur; E. G. Rec. Cassiæ recenter extractæ vel, elect. lenitiui ℥x. Spec. hieræ simp. ʒij. Misceatur & fiat bolus cũ sacharo. Vel in potione. Rec. Electuarij lenit. ℥j. Syr. rosat. sol. ℥js. Decocti borrag. buglosi, lactucæ, q. s. pro haustu. NB

XL.

Præparant & concoquunt materiam in frigido catarrho: quæ calida substantiæ tenuitate eius crassitiem incidunt: aut lentorem detergunt: vt sunt Syr. de betonica, de stœchade, hyssopo, glycyrrhiza, de capill. Veneris. Mel rosatum colatũ: quibus adduntur aquæ stillatitiæ, betonicæ, maioranæ, saluiæ, thymi, scabiosæ, &c. ut Rec. Syr. de betonica, de stœchade. Mel. rosat. colat. an. ℥s. Aqu. betonicæ, maioranæ, hysopi an. ℥j. Misceatur, & fiat Syrupus, vna vice, per plures dies sumendus.

XLI.

Vel paretur apozema ex radicibus, herbis, seminib. & fructibus appropriatis, quale hoc est; Rec. Polypodij ℥j. glycyrrhizæ ℥s. rad. asparagi, fœniculi, apij, petrosel. rusci. an. ʒiij. rad. calami aromatici, ireos an. ʒij s. Herbarum, betonicæ, saluiæ, maioranæ an. M. j. capill. Vener. Thymi an. M. s. Flor. borrag. buglosæ, betonicæ an. P. j. Sem. anisi, fœniculi, ameos, an. ʒj. Passularum minorum, ficuum pinguiũ an. ℥j. Sem. carthami ℥s. Fiat decoctio secundum artem in aqua, ad consumtionem medietatis. Colatum ius clarificetur: & dulcoretur cum sacharo, vel Syrupis supradictis.

XLII.

In calida destillatione contraria requiruntur: nimirũ, quæ refrigerant: & ferociam, caliditatemq; humoris compescunt: qualia sunt. Syr. lactucæ, rosarum, nymphææ, papaueris, portulacæ, endiuiæ, cichoreæ, acetositatis citri, acetosæ, borraginis,

earumq́ stillatitiæ aquæ. Decocta item ex eisdem herbis & alys conuenientibus; exempli gratia: Rec. Corticum rad. cichoreæ ℥ij. rad. acetosæ, endiuiæ an. ℥s. glycyrrhizæ. ʒv. Herbar. cichoreæ, endiuiæ, portulacæ, borrag. acetosæ, capillorũ Veneris, an. M. j. Sem. anisi, fœniculi an. ʒjs. Sem. melon. cucurb. cucum. citrul. an. ʒj. Passularum minorum ℥j. Prunorum damascenorũ, iuiubarum, pulpæ fructuum Sebest. an ℥s. Fl. borrag. buglossi, violarum an. p j. Decoquãtur lege artis, in aqua hordei: & depurata decoctio dulcoretur: cuius vsus sit per dies aliquot, mane.

XLIII.

His vacuantia, quæ cõtinent venæ sectionem & purgationem succedunt: & sæpe etiam præcedere solent: præsertim, in tenui, ad motum præcipiti, copiosa, acri & maligna seu (vt vnico verbo Hippocrates cõpræhendit) turgenti materia: vbi non est cõcoctio expectanda: neq́ præparatio alteratioue molienda: sed initio hæc generosa adhibenda sunt remedia.

Gal. 5. methód. 5.

XLIV.

In venæ sectione tamen, non tantùm natura & qualitas destillantis materiæ est æstimanda: sed etiam an febris adsit, sanguis abundet, viresq́ permittant, considerandum.

XLV.

Secatur autem vena brachÿ dextri vel sinistri exterior, humeralis dicta. Licet hæc obseruatio parui sit momenti: propterea quod omnes brachÿ venæ, ab vno & eodem oriuntur & prodeunt ramo.

XLVI.

Purgantia hîc vsurpantur: vel quæ calidam educunt materiam, vel quæ frigidam.

XLVII.

In calida educenda materia vtimur, Rheubar. scãmonea, pilul. aureis, assaieret, elect. de succo rosarum, de psyllio; vt ex. g. Rec. Rheub. ʒjs. Cinam. electi ℈j. Concidantur minutim: macerenturq́ per horas 12. in aquis stillatitÿs, cichoreæ, & buglossi an. ℥js. addita vini optimi ℥s. Expressis deinde, & colatis, addatur elect. de succo rosarum, de psyllio an. ʒ j s. Commistis omnibus, fiat potio purgans.

XLIIX.

Magis tamen hic, vt in alÿs capitis affectibus, conueniunt pilulæ; cuiusmodi sunt; Aurearum. de Rheubarb. Agregatiu. an. ℈j. Diagridÿ gij. Formentur xiij. cum Syrupo de stæchade, maneq́ sumantur.

XLIX.

Galen. 5. meth.

Obseruandum hoc etiam: in omni calida & acri destillatione, pharmaca offerenda esse diuersos humores expurgãtia: veluti sunt pilulæ cochiæ & aureæ, Rheubarbarum cum agarico, elect. de succo rosarum cum Diaphænic. & alia.

L.

Frigidã euacuamus materiã, agarico, turbith, colocynth. pilul. cochÿs, de agarico elect. diaphænic. Indo maiori. Vt si pilulæ exhibendæ essent, sumuntur, cochiarũ, de agarico an. ℈js. Trochis. alhandal gij. Paranturq́ xiij. cum Syr. de betonica.

LI.

Quod si æger abhorreat à pilulis: parari potest purgans in forma potionis, vel in forma boli: qualis est ex Diacathal. ℥s. Diaphænic. electuar. Indo an. ʒ j s. Detur cum sacharo albissimo: vel in vltima præparãtis decoctionis potione resoluatur.

LII.

Porrò purgantibus in hoc affectu non modò semel, verum etiam bis, terúe, pro rei necessitate vti expedit.

LIII.

Ab his deinceps tanquam vniuersalibus, progrediendum ad particularia, & Topica remedia: quorum quædam sunt, quæ vel auertunt atq́ retrahunt humores à capite: vel eosdem sistunt: vel caput corroborant, & reliquias digerunt: intemperiemq́ relictam emendant.

LIV.

Ad auertentia pertinent: venæ sectio, enemata, cucurbi-

ta brachijs, scapulis, poplitib. natibusq; admotæ, frictiones extremarum partium, potissimùm pedum, ligaturæ dolorificæ, lotiones crurum, brachiorum, narium emunctiones crebræ.

L V.

Inprimis verò peculiari & propria vi caput expurgantia sunt: errhina, sternutamenta, apophlegmatismi, gargarismi: quæ tamen duo posteriora, propter metum copiæ, acredinis & tenuitatis humorum, ad pectus & pulmones ruentium, suspecta sunt.

L VI.

Apophlegmatismi vel masticatoria sunt: mastix, zinziber, pyrethrum, piper, radix acori, staphisagria, radix caparorum, &c. vel per se, vel trita, cum melle aut cera in formam pastillorum redacta: quorum vnus vel duo ad euocandam educendamq; è capite materiam mandi ac remandi debent.

L VII.

Errhina & gargarismi parātur ex decoctis vel succis maioranæ, hysopi, pulegij, saluiæ, betonicæ, betæ, braßicæ, iridis, cyclaminis, melle, oleo, vel cera: item pyrethro, pipere, veratro, rad. iridis, sinapi, elaterio. Vt exē. gratia, errhinum tale fieri potest. Rec. Succi betæ ℥js. decoct. maioranæ ℥iij. mellis ℥j. Ferueant parum ad ignem: & fiant inde errhina intra nares admouenda. Quod si valentius placuerit: addatur, pyrethri, piperis, veratri, aliquid: ex quorum puluere, & sternutamenta, facile excitantur.

L IIX.

In calida materia sunt violæ, nymphæa, rosæ, maluæ, hordeum, flores chamæmeli, glycyrrhiza: ex quorum succis & decoctionibus, fiunt gargarismi & errhina.

L IX.

Sistentia catarrhū, fluoremq; eius refrænantia, varia sunt. In calido quidē rosæ siccæ, violæ, plantago, portulaca, nymphæa, hordeum, papauer album, semperuiuum, hyosciamus, caphura, bolus armena: ex quibus decocta, emplastra, suffitus, aliaq; præparantur.

L X.

Et ex compositis: Syrupi & Conseruæ violarum, rosarum, papaueris, diacodium, diapapauer, diatragacanthum frigidum, succus glycyrrhizæ, pilulæ de cynoglossa, vnguentum rosatum, &c. Ex his electuarium tale fieri potest. Rec. Cons. rosarum antiquæ ℥ j s. Diacodij ʒij. Diatragacan. frig. ʒiij. Cum Syr. rosaceo excipiantur: de eoq; paulatim deglutiatur.

L X I.

Frigidam destillationem inhibent: suffumigia ex mastiche, vernice, thure, ligno aloes, styrace, caryophilis, myrrha, nuce moschata. Cuminū item deustū, & nigella torrefacta linteolo illigata, ac naribus admota. Spica per noctem in ore detenta, & alia quamplurima.

L X I I.

Nunquam autem auertentia generali vacuationi, nec sistentia vtriq;, nisi grauia vrgeant symptomata, præmitti debent.

L X I I I.

Quæ caput corroborant: sunt vel calefacientia, vel refrigerantia.

L X I V.

Calefacientia sunt: conseruæ flor. rorismarini, betonicæ, saluiæ, cortex mali citrij, chebuli conditi, zinziber, aromaticum rosatum, diamoschum, diambra, plirisarcoticum, quæ in electuarijs, tabulis, rotulis, morsulis, cōficiuntur: vt, Rec. Spec. aromat. rosati, diamosci, diambræ an. ℈iiij. Sachari albi in aq. betonicæ dissoluti. q. s. fiant tabulæ vel morselli.

L X V.

Refrigerando corroborant: conser. rosarum, violarum, nymphææ, borrag. buglosi, cichoreæ, diarrhodon abbatis, diatrionsantal. & alia, quæ in simili forma, ac superiora, præscribuntur. Electuarium eiusmodi esto. Rec. Cons. rosarum, nymphææ borra-

borraginis an. ℥vj. Spec. diarrhod. abb. diatrionsant. an. ℈ij. Misceantur cum Syr. violarum & cichoreæ, quantũ sat est.

LXVI.

In similem vsum poma odorifera, lotiones capitis, suffitus, vnguenta confici possunt: cum ex ijs quæ superiùs enumerata fuêre: tum ex alijs reliquias discutientibus, intemperiemq́ue, si quæ relicta est, corrigentibus.

LXVII.

Inter ea non postremum etiam locum habet sacculus ex sale, milio, furfure, saluia, maiorana. Et pileolus, seu cucupha ex fol. lauri, origani, seminibus nigellæ, camomilla, meliloto, stœchade, thure, mastiche, cinnamomo, rosis rubris, caryophilis, alijsq́ue quorum copiam, vtendiq́ue modum, & ordinem, probati Medicæ materiæ scriptores suppeditant.

LXIIX.

Quod si hæc, non, vel parum proficiant: confugiendum est ad cauteria actualia & potentialia: quæ non solùm robur capiti conciliant: sed & vim è profundo trahendi habent: & omnem fluxionem intercipiunt.

LXIX.

Cæterum, cùm destillatio, quæ vitio & συμπάθεια reliquarum corporis partium contingit, peculiarem curationem exigat, & postulet; de ea aliàs alius disputandi dabitur locus.

FINIS.